UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Sacrarum Literarum Primarij Professoris Defensio Fidei Catholicæ Et Apostolicæ Adversvs Anglicanæ ...

Suárez, Francisco

Coloniae Agrippinae, 1614

Cap. 2. Vtrum in prima parte formulæ iuramenti aliquid præter obedientiam ciuilem, & contra Ecclesiastic am iur andum proponatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-93459

Visual Library

professio cuiusdam hæresis, ac proinde abominabile. Idemque non minus euidens, & certum esse debet de quarta iurandi forma, in qua promissio obedientiæ ciuilis Regi facienda, & abiuratio Pontificiæ non clarè, sed tectè, & simulate proponitur, quia in moralibus illa duo æquiparantur, parumque refert ad fidei cõstantiam, quod apertè, vel sub aliquo velamine, & simulatione veritas Catholica negetur. Vnde etiam de hoc puncto non est principalis controuersia, quia verò ab ignorantibus potest in dubium reuocari, inferius opportuno loco dictam veritatem confirmabimus.

4. Iuramenti genus.

8. Punctum ergo principale, in quo Rex controuersiam constituit, non est de iure (vt sic dicam) sed de facto, id est, an in illa vltima forma iurandi à Rege Angliæ inuenta sola obedientia ciuilis à subditis exigatur, Ecclesiastica vero nullo modo, neque expressè, neque tacitè, vel tectè, seu palliatè. Et similiter an per illud iuramentum abiuretur Primatus Papæ, eiusque suprema spiritualis potestas negetur, vel solum fiat professio supremæ potestatis Regiæ in suo ordine, & gradu sine professione spiritualis potestatis, quam vsurpat. Nam Rex Angliæ contendit in eo iuramento solam promissionem obedientiæ purè ciuilis, & professionem supremæ Regiæ potestatis temporalis contineri. Sic enim ait in Præfatio. pag. 12. *Tanto studio, tantaq; solicitudine cauebã, ne quicquam hoc iuramento contineretur, præter fidelitatis illius, & temporalis obedientiæ promissionem quam ipsa natura omnibus sub regno nascentibus præscribit.* Et infrà dicit, scripsisse Apologiam, in qua suscipiebat probandum; *nihil in eo iuramento contineri, nisi quod ad obedientiam mere ciuilem, ac temporalem spectat, qualis summis Principibus à subditis debetur.* Idemque in alijs locis tam Præfationis, quam Apologiæ repetit, ex quibus aliqua in præcedenti præfatione retuli. Hoc ergo in primis est à nobis examinandum.

Controuersiæ status ac diuisio.

Et primo quidem de re ipsa secũdum se spectata disseremus, & per singulas illius formulæ iurandi partes, prout Rex postulare videtur, discurrendo, quam sit iniustum, & fidei contrarium iuramentum illud ostendemus. Posteà verò ad ea, quæ contra Breuia Pontificia obijciuntur, facile respondebimus.

CAPVT II.

VTRVM IN PRIMA PARTE FORmulæ iuramenti aliquid præter obedientiam ciuilem, & contra Ecclesiasticam iurandum proponatur?

1. IN quatuor partes, seu paragraphos dicta iurãmenti formula diuisa est, prima est in eius initio, secunda in paragraph.o *Item iuro*, tertia in paragrapho *Præterea iure*, quarta in paragrapho, *Et vlterius credo*, quæ discutiendæ sunt, & attentè considerandũ, an in omnibus, vel in aliqua earum verum inueniatur illud Regis pronunciatum, nihil in illo iuramento contineri, nisi quod ad obedientiam mere ciuilem, ac temporalem spectat; Prius autem, quam ad singulas partes descendam; præmoneo, ab aliquibus notatũ esse, verbũ *Iuro* in prima, & vltima clausula non apponi, & ideo in eis non iurari, ac subinde non tantam requiri certitudinem de veritate earum rerum, quæ in eis proponuntur, quin sine culpa saltem graui quis possit illa confiteri, licet ea non credat, sicut in alijs duabus partibus, quæ sub iuramento proferuntur, necessaria est. Hæc verò consideratio falsa est, & pernicioſa. Primò enim citra dubium verum est, etiam illi, quæ in prima, & vltima parte continentur, sub iuramento proferri. Nam in prima dicitur: *In conscientia mea coram Deo*, quæ duæ particulæ in rigore sumptæ solent esse formæ iurandi, & licet figillatim sumpto interdum sint ambiguæ, tamen simul coniunctæ adinuicem se iuuant, & determinant significationem ad indubitatam iurandi formam. Et augetur certitudo ex solennitate iuramenti, & ex materia eius, & quia statim in secunda clausula dicitur: *Item iuro*, & ex alijs, quę iam dicam. Nam in vltima etiam clausula ponitur particula; *In cõscientia mea*, Et deinde supponitur simpliciter iuramentum hoc, quoad omnes suas partes esse tam validum iuramentum, vt à nulla earum possit Pontifex quenquam absoluere. Et quod tollit omne dubium, infrà dicitur. *Hæc omnia planè, ac syncere agnosco, & iuro.* Et in fine cõcluditur: *In vera fide Christiani viri, & sic me Deus adiuuet.* Quod vtrimũ verum sufficit ad iurandum omnia præmissa, vt in iure etiam canonico habetur, c. *Ego N.* de iure iurando. Vltimo verò addo, cum in prima parte dicatur, *Agnosco, & profiteor*, & in vltima dicatur, *Credo*, & materia pertineat ad dogmata fidei, etiam si iuramentum non interueniret, fore grauissimum peccatum, in illa materia aliquid falsum confiteri, vel profiteri, quia esset contra fidei confessionem, quæ necessaria est ad salutem, teste Paulo ad Roman. 10.

Videlib. 1. de Iuram. c. 13. nu. 8. 21. & seqq.

2. Hoc ergo supposito, in primis in ipso iuramenti initio: *Ego A.B. verè, & syncerè agnosco, & profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea coram Deo, & mundo, quod supremus Dominus noster Rex Iacobus est legitimus, & verus Rex, &c.* aduerto, licet hæc verba syncerè proposita, & intellecta expresè nihil aliud quam dominij, ac regni temporalis professionem continere videantur, nihilominus in verbis illis: *Supremus Dominus noster Rex*, virus latere. Nam iuxta intentionem loquentis, ex alia formula iurandi nunquam retractata, & ex publica eius professione, & scriptis satis cognita, & iuxta vulgarem, & receptum in illo regno sensum, particula, *Supremus Dominus* significat esse supremum simpliciter tam in spiritualibus, quàm in temporalibus: supremum (inquam) positiuè in suo regno, quia est supra oẽs tàm laicos, quàm Ecclesiasticos, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus: & negatiuè respectu totius orbis, seu Ecclesiæ, quia nullum in ea recognoscit superiorem. Cùm ergo in ipsa forma iuramenti cogatur omnis, qui iurat, illo modo recognoscere Regem vt supremũ Dominũ, tacite cogitur confiteri Primatum eius supremũ in magna Britannia, & Hybernia, & exemptionem eius ab omni superiori potestate, & cõsequenter tacite abiurare cogitur supremam spiritualem Pontificis potestatem. Sic ergo in illa sola particula: *Supremus Dominus noster*: aliquid vltra obdientiã ciuilem, ac temporalem cõtinetur.

In prima iuramenti parte virtus latere ostenditur.

3. Dicet aliquis, esto hæc fuerit intentio Regis, quam certè negare non potest, consulto non expressisse illam in ipsa formula, ne Pontificijs (vt ipse loquitur) scrupulus conscientiæ inijceretur, quem nunc poterunt facile deponere, non iurando iuxta intentionem loquentis, sed iuxta simplicitatem verborũ sonum, & in sensu accommodato, quem possunt illa verba facere, tantum de supremo dominio in temporalibus ea intelligendo. Veruntamen hæc fuga, licet speculatiuè (vt aiunt) & abstractè, ac remoto scandalo posset sustineri, tamen in vsu, & praxi in tali loco, & inter tales personas, & cum alijs circunstantijs, ac periculo scandali, quod simul ibi concurrit, vix potest ab illis verbis separari talis significatio, & consequenter illa erit quædam externa confessio, & professio potestatis Regis absolutè supremæ in omni materia, & sine vlla limitatione, præter illam quæ in ipsis verbis additur, de terris eius dominio subiectis. Quæ limitatio augèt cætera verba, vt sine vlla limitatione dicta intelligantur. Multòque magis id declarant verba sequentia, vbi iam non tectè, sed expresè vltra ciuilem, & temporalem obedientiam iuramentum extenditur. Additur enim.

Excluditur euasio.

Et quod

4 *Et quod Papa nec per se ipsum, nec per vllam aliam authoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, nec per vlla media cum quibuscunque alijs aliquam potestatẽ, nec authoritatẽ habeat Regem deponendi.* Quis quæso, dicat, per hæc verba tantum postulari à subditis obedientiam ciuilem, *qualis Summis Principibus à subditis debetur?* Certè alij Reges Ecclesiæ nõ minus supremi Principes in tẽporalibus sunt, quã Rex Angliæ: & tamen neq; ipsi talem obedientiam exigunt, nec sibi à subditis deberi credunt, nec subditi illam recognoscunt; ergo apertè declarat Rex Angliæ de se loqui, & sentire tãquam de supremo Principe, nullum in terris habente superiorem, & hanc professionem per illud iuramentum à subditis postulare. Deinde per illa verba non tam iuratur obedientia Regi, quam abiuratur potestas Papæ, tractare autem de potestate Papæ, & illam iurandam, vel abiurandam proponere, nõ pertinet ad potestatem ciuilem, aut temporalem Regis, nec ad obedientiam ciuilem illi debitam; ergo illa verba euidenter excedunt terminos obedientiæ ciuilis, tum quia verba ipsa aliquid aliud significant præter obedientiam ciuilem Regi debitam, vt ex ipsis manifestum est; tum etiam quia ipsemet actus exigendi tale iuramentum, & imponendi obligationem profitendi hoc vel illud de potestate Pontificis est actus iurisdictionis plusquam ciuilis; imò superioris, vel non subditæ potestati Pontificis: quia ad ciuilem potestatem non pertinet spirituali potestati, præsertim supremæ terminos præscribere. Duobus ergo modis (vt Theologicis terminis rem declarem) Rex in illis verbis postulat obedientiam plusquam ciuilem, primo in actu signato proponendo materiam non ciuilem, secundo in actu exercito; vtendo potestate plusquam ciuili, & cogendo subditos, vt illi se subdant, & sua professione illam recognoscant.

Dicta verbis Papæ potestatem abiurari.

5 Accedit, quod per illa verba proponitur professio cuiusdam erroris contra doctrinam ab vniuersa Ecclesia probatam. Quamuis enim re vera materia illa Ecclesiastica sit, si doctrina proposita vera esset, vtcumque tolerabilis esset iurisdictionis vsurpatio: cum tamen ipsa forma iuramenti errorem cõtineat, & ad illum profitendum subditos compellat, non solum exigit aliquid vltra obedientiam ciuilem, sed etiam cogit ad abnegandam Pontificiam potestatem, & ad confitendum aliquid sanæ doctrinæ contrarium. Assumptum ostenditur, quia ille articulus illius iuramenti includit hanc propositionem, & fidem eius: *In Pontifice, vel in vniuersa Ecclesia non est potestas ad deponendum Regem baptizatum in vllo casu, vel propter quancumq; causam, vel culpam.* Quãuis enim in ipsa iuramenti forma non addantur expresse omnes istæ particulæ. *In vllo casu, vel propter quancumque causam, aut culpam,* in alijs æquiualentibus continentur, nimirum cum dicitur, quod *Papa nec per se, nec per alios, nec cum quibuscunque alijs aliquam potestatem, nec authoritatem habẽt Regem deponẽdi:* Si enim nullam potestatem habet; ergo nec facultatem puniendi, nec quouis alio titulo potestatem habet effectricem talis effectus, seu depositionis. Et hoc idem per alias clausulas amplificatur, videlicet, quod Papa non habeat potestatem disponendi de regnis sub dominio Regis constitutis, aut alteri Regi concedendi authoritatem illa inuadendi. Nam hæc omnia pendent ex illo principio, quod Papa nõ possit illum cogere per talem pœnam depositionis, etiam si hæreticus, vel schismaticus, vel catholicorum persecutor sit, neque aliquibus medijs coactionis temporalis, seu corporalis vti ad illum puniendum, vel Ecclesiam defendendam, & catholicos à tanto periculo eruendos. Quam verò falsum sit hoc dogma, quamque alienum à principijs fidei, ab vsu Ecclesiæ, & ab omni etiam recta ratione, suppositio munere pastorali, quod Christus Vicario suo commendauit, satis in libro tertio ostensum est; ideoque in hoc puncto in præsenti non amplius immorabor.

Præcipua ratio.

6 Tandem eiusdem rationis est alia clausula, qua hęc pars huius iuramenti concluditur, in qua Rex suos subditos iurare cogit in Pontificis non esse potestatem, *vllos subditorum suorum ab eorum suæ Maiestatis obedientia, & subiectione exonerandi, aut vllis eorũ licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Maiestatis suæ personæ, statui, vel regimini, vel aliquibus suis subditis intra sua dominia offerendi.* Quæ clausula eiusdem ferè rationis est cum præcedenti, & ex eodem errore procedit, nimirum, quod in Pontifice nulla sit potestas coerciua Regis per corpora é violentiã, vel alias temporales pœnas: quam doctrinam erroneam esse in eodem lib. 3. ostensum est. Quamobrem etiam in hac clausula aliquid vltra obedientiam ciuilem iurandum proponitur, & spiritualis potestas vsurpatur, eamque in ipso iuramento profiteri, & in Rege agnoscere subditi coguntur. Ac denique etiam potestas Pontificia abiuratur, & error contra fidei doctrinam iuratur.

Alij errores in hac clausula contenti.

7 Imò hic inuoluuntur noui errores. Vnus est, quod Papa non habeat potestatem relaxandi iuramenta, etiam si iusta, & rationabilis causa intercedat, quod est contra Ecclesiasticum morem, Conciliorumque generalium vsum, & approbationem cap. 2. *de Re iudic. 6.* Et contra catholicorum Doctorum consensum, & contra potestatem ligandi, & soluendi Petro datam, & ita vsu, & moribus totius populi Christiani declaratam. Et præterea est etiam cõtra rationem, nam in similibus iuramentis semper includitur, vel conditio tacita, si promissio impleri possit sine notabili damno, & periculo iurantis, maxime verò quando illud periculum, & damnum, prouenit ex iniuria, & violentia eius, cui fit promissio: Vel intelligitur reseruatum ius superioris, qui nõ obstante promissione à subdito facta potest illi prohibere, ne illam impleat, seu ne actionem promissam exequatur, si iusta, & rationabilis causa intercedat, & consequenter potest relaxare iuramentũ, materiam eius prohibendo. Denique hic error supponit priorem: nam si Papa potest deponere Regem cõsequenter necesse est, vt auferre possit vinculum obedientiæ, & iuramenti, quia non promittitur obedientia Iacobo, vt Iacobus est, sed vt Rex, vnde si desinat esse Rex, eo ipso non debetur ei obedientia, ac subinde nec iuramentum obligat, nam sublata materia iuramenti, consequenter iuramenti obligationem auferri necesse est.

Alius error.

8 Alius nouus error est, quia non solum negatur Pontifici potestas deponendi Regem ipsum hæreticum, sed etiam subditos eius cogendi per huiusmodi pœnas, vt patet ex illa particula, *vel aliquibus suis subditis.* Est enim circa sensum illorum verborum aduertendum, neminem esse, qui doceat, posse Pontificem suo arbitrio, & absq; cogente iustitiæ ratione, dare alicui Principi licentiam, vt contra alium Regẽ, vel subditos eius arma sumat, aut vim aliquã, vel nocumentum ei inferat: sicut etiam non potest pro libito dare licentiam subditis excitandi turbas contra Regem suũ, prout videtur Rex Angliæ in discursu huius operis Papæ attribuere, vt in fine libri tertij animaduertimus, ac refutauimus. Quis enim Pontifex hãc sibi vnquam potestatem arrogauit? aut quis catholicus, aut rationis vsum habens hoc vnquã docuit, aut prædicauit? Non oportet ergo tegere, aut palliare verba illa, fingendo, sensum eorum esse, Papam non posse illam licentiam dare ad libitum, & sine causa, hoc enim neque Rex timet, neque in mentem hominũm venit.

Sensus ergo est, non posse Pontificem violentiam aliquam, vel damnum inferre non solum Regi, verum etiam nec subditis suis, neque alicui dare licentiam quippiam simile contra subditos Regis Angliæ

gliæ faciendi, etiam si illi apostatæ sint, & Ecclesiæ Romanæ rebelles, ac schismatum, & hæresum seminatores, vel fautores: hoc ergo modo dicimus, in verbis illis magnum, & nouum errorem contineri, vel certè eundem de Primatu magis explicatum. Quid enim hoc aliud est, quam profiteri, subditos Regis Angliæ non habere in terris alium superiorem, præter ipsum Regem, nec ab alio posse cogi, vel puniri propter sua scelera, etiam si aliis catholicis, & Ecclesiæ Christi pernicioſa sint. Ergo per omnes has clausulas, vel satis expresè, vel saltem implicitè negatur, & abiuratur suprema Pontificis potestas, & Regi tribuitur. Vnde concluditur, & falsum esse, nihil in hoc iuramento exigi, præter professionem ciuilis, ac temporalis obedientiæ. & è contrario verissimum esse, iuramentum hoc esse mistum, & virtute continere quidquid in prioribus iurandum offerebatur. Neque video, quid possit his rationibus cum aliqua probabilitatis specie responderi: quandam autem fugam, quam Rex insinuat, in sequenti capite attingemus.

Postremum iuramentum priora virtute continere.

CAPVT III.

IN SECVNDA IVRAMENTI PARTE aliquid etiam vltra ciuilm obedientiam, & contra Ecclesiasticam iurandum offerri.

2. INCIPIT hæc pars ab illis verbis: *Item iuro, &* nihil ferè continet diuersum à præcedenti, sed in ea magis declarantur omnia, quæ in priori parte contra potestatem Papæ abiurantur, vt nimirum, intelligantur non solum de potestate extraiudiciaria (vt sic dicam) seu de potentia faciendi per vires humanas, sed etiam procedere de potestate iurisdictionis, & iudiciaria, quæ in hac secunda parte expressiùs negatur, & abiuratur Pontifici sequentibus verbis: *Item iuro ex corde, quòd non obstante aliqua declaratione, vel sententia excõmunicationis, aut depriuationis facta, vel concessa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel successores suos vel per quancumq; authoritatem deriuatam, aut deriuari prætensam, ab illo, seu à sua Sede contra dictum Regem, hæredes, aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia, fidelitatem tamen, & veram obedientiam suæ Maiestati, hæredibus, & successoribus suis præstabo, ipsumq; & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes, & attentata quæcunq;, quæ contra personam illius, vel illorum, eorumq; coronam, & dignitatem, ratione, vel colore alicuius sententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam.*

2. *Duplex sensus 2. partis iuramenti.*

Vt ergo nullus detur subterfugiendi locus, interrogo, an Rex intelligat, sententiam Papæ deponentis Regem baptizatum, & qui se Christianum esse profitetur, propter crimina, posse esse iustam, an vero credat, semper esse iniustam. Primum, vt credo, non asseret, alias subditos suos ad rem turpissimam iurandam induceret, nimirum ad non parendum sententiæ iustæ, quæ secum affert iustum præceptum. Nam si sententia iusta est, etiam erit iustum præceptum, quo illa à subditis seruari mandatur, cum aliter non possit executioni mandari. Item si sententia depositionis lata à Papa contra Regem esse posset iusta, etiam erit efficax, habet ergo effectum pœnæ, quam imponit. Vnde cum pœna imposita per sententiam depositionis à regno, fit ipso facto priuare Regem dominio, & proprietate regni, sententia iusta efficacitate priuat regno; ergo contra iustitiam, & obedientiam debitam Papæ, est resistere tali sententiæ, & defendere personam Regis contra executionem talis sententiæ; ergo qui primum credit, & nihilominus hoc secundum iurat, rem planè iniustam, & iniquam iurat. Et aliunde contradictionem inuoluit, velle seruare obedientiam, & fidelitatem alicui tanquam vero Regi, quem scias per iustam declarationem, vel sententiam esse cum effectu à regno depositum. Vt si Papa ipse exigeret à fidelibus iuramentum, quòd non obstante quacunq; sententia, vel declaratione depositionis eius, etiam propter crimen hæresis à quocunque generali Concilio facta, eum defendent in sua sede, eique eandem obedientiam, & fidelitatem præstabunt, iuramentũ esset iniquum, quia esset de re iniqua, & Ecclesiæ, ac fidei contraria. Tale ergo est hoc iuramentum Regis, si dicta sententia iusta supponatur. Hoc ergo sine dubio non admittet Rex, neque etiam opinor, adeo esse suarum rerum iniquum æstimatorem, vt si concedat, sententiam à Papa latam cõtra aliquem Regem, esse posse iustam, nihilominus neget, contra se posse eandem tenere æquitatem. Quam enim maiorem immunitatem, vel innocentiam in se, quam in aliis Regibus, qui Romanæ Ecclesiæ rebelles, aut fidei desertores, & impugnatores fuerunt, allegare potest? Aut licet in se causam depositione dignam non agnoscat, vnde scit, in successoribus suis esse non posse, cum tamen de omnibus æquè iuramentum exigat? Non est ergo dubium, quin fundamentum huius iuramenti sit, talem sententiam non posse esse iustam.

Prior sensus excluditur, & alienus à mente Regis ostenditur.

1. *Posterior sensus à Rege intentus errorem continere ostenditur.*

Hinc ergo euidenter concludimus postulari à subditis Regis Angliæ per illa verba, vt iurent, sententiam depositionis contra Regem neque validam, neque iustam esse posse, nam re vera hoc profitentur, cum iurant, tali sententiæ non parere, nec illam seruare. Vnde vlterius concludimus, ab eisdem peti, vt iurent, non esse in Pontifice potestatem ad talem sententiam ferendam. Probatur, quia non alia ratione credit Rex, & à suis subditis vult credi, sententiam illam fore iniustam, nisi quia absque potestate, & iurisdictione Papæ supra Regem lata sit; hoc enim iugum confringere, & à se tollere his omnibus medijs conatur Rex, & ideo in suo libro sæpè repetit, se nihil minus esse à Pontifice, & Pontifici nihil negotij esse cum illo, & similia. Nec potest aliam rationem iniustitiæ in tali sententia Rex allegare, aut prætendere, quæ perpetua sit, & huic parti iuramenti fundamentum dare potuerit. Nam licet in principio Apologiæ duas alias causas ipse indicet, videlicet, quod dispar religionis cultus non sit sufficiens causa, vt subditi possint contra Regem coniurare, & quod inaudita causa damnatus sit, quas querelas infra tractabo: nihilominus neutra earum est vniuersalis, & perpetua (vt de illarum qualitate modo nihil dicam.) Et ita non potuit iuramenti forma in illis causis fundari, tum quia Pontifex nondum breue suum scripserat, de quo Rex conqueritur, tum etiam quia iuramentum non loquitur de sententia facta, vel facienda cõtra Regem, vel successores suos; comprehendit ergo omnem sententiam, siue feratur audita parte, siue non audita, siue propter disparem religionem, siue propter quæcunque alia crimina, vel aliam causam. Ergo iniustitia, quam in illa sententia Rex supponit, & in qua fundauit illam iuramenti formulam, non est, nisi quia credit, non posse à legitima potestate, & iurisdictione manare.

4. *In ea parte iuramenti professionem errori contrariam fidem includi.*

Concludo igitur, in illis verbis huius iuramenti non tantum postulari à subditis ciuilem obedientiã, sed etiam professionem huius erroris, quod Papa non habeat potestatem, & iurisdictionem ad ferendam contra Regem depositionis sententiam quacunque ex causa, ac subinde non esse veram illam Regis propositionem: *Nihil in eo iuramento contineri, nisi quod ad obedientiam mere ciuilem, ac temporalem spectat.* Et inde vlterius infertur, peccare grauissime subditos illud iuramentum præstando. Nam profitentur exterius, Papam non habere iurisdictionem supra Regem, qua possit in eum iustam sententiam depositionis dicere, quacunque ex causa, & quocunq; modo illam ferat, seruato ordine, quem naturalis iustitia po-